

aliquorum Januensium de dicta insula extrahere et quo voluerint portare et portari facere valeant quocunque libere et impune. Recipiendo tamen bulletam de civitate Famagoste de predictis extrahendis, dummodo portare vel extrahere debentes jurent in manibus officialium Famagoste vel alicujus ipsorum, ea que tunc extrahuntur ex possessionibus, prediis, vel bonis ipsorum Venetorum infra Ciprum existentibus crevisse. Quam bulletam dicti officiales Famagoste requisiti tradere libere tocies quocies dictis Venetis opus erit sine contradictione qualibet teneantur. Possint autem dicti officiales super navigio vel naviis, super quo vel quibus hujusmodi res extrahi debebunt, mittere unum eorum numerum, qui videat res, ut premittitur, per dictos Venetos deferendas. In civitate autem Famagoste et ex ipsa et ad ipsam possint ire, stare, reddere, et conversari pro mercando et alia sua negotia exercendo quicunque Veneti, et ibidem etiam quod commercia et gabellas tractentur et tractari debeant ipsi veneti favorabiliter et benigne tamquam cives proprii Januenses. Item fuit actum et sollempniter conventum inter dictas partes nominibus antedictis, quod si et ubi inter serenissimum principem et dominum dominum generorum imperatorem Kalojanum seu nuncios vel factores ejus et dominum ducem et commune Janue seu nuncios et factores eorum sit presentialiter, sicut per aliquos asseritur, pax et concordia celebrata, eo casu liceat quibuscumque Venetis et singulis ipsorum, cum ipsorum rebus, mercibus et bonis aliis pro sue voluntatis libito navigare more solito ad imperium et per imperium Constantinopolitanum absque impedimento vel molestia eisdem in personis vel bonis per Januenses vel eorum subditos et stipendiarios quilibet inferendis. Si vero nondum facta sit concordia memorata inter partes superius nominatas eo casu dicti dominus dux et commune Janue teneantur et debeant omnino dare pacem et facere cum dicto domino imperatore Kalojano, dummodo ipse imperator Kalojanus duntaxat promittat observare conventiones et pacta, que vigeant inter ipsum dominum imperatorem et commune Janue ante